

**Calmé, Jean-Baptiste - candidat /
Cosnier, Louis-Jean-Baptiste -
président. - An in cutaneis tenacibus
morbis, diuturnus & abundans lactis
usus, repetitaque simul kyrudinum
applicatio ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°152

93
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-nondā
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXVII.*


M. LUDOVICO-JOANNE-BAPTISTA COSNIER,

Doctore Medico, Præside.

*An in cutaneis tenacibus morbis, diuturnus & abundans lactis usus, repetitaque
simul hyrudinum applicatio?*

I.

MULTIS, ut aiunt, modis, à Naturâ corporis habitudine donati Nesto-
reâ, in orcum præcipites plerique mortalium ruunt. Primam huc lucem
non superandæ prosequuntur tenebræ; sorores illuc anguicomæ hymeneas sur-
ripiunt faces, pessimique crocitus ominis, numerosas inter nympharum cho-
reas, festivis clamoribus confundunt: etiamnum intradam, plurimis luxu-
riandam filiis, carissimam demùm optimo uxorem marito tollentes è medio,
deliciis insignes thalamos horrendum in Cocytum permutant, supraque sic
portentosa mille simul facinora sibi plaudunt. Intereâ tamen obcœcata gens
undiquè proclamat humana: « Tale fatum erat, fatum, cui suprema obtempe-
rant Numina; nil salutare de Medicis, nil de medicinâ, quando venit hora,
» quando venit tempus, expectandum occurrit ». Quid hora? quæso, quid
tempus? Hora divisio temporis; temporis autem mensura fortassis ac essentia
rerum successio naturalium. Irrevocabili fato, nobis semel calcanda est via lethi.
Per fatum igitur quod à se nulla causa deviare nec remorari potest intelligen-
dum. Verùm enim verò si concipias hunc in ætate floridâ demortuum hominem
quâlibet potuisse de causâ vivere superflitem, ut si, assumpto veneno, illud
denegare potuisset; vel, excepto antidoto, faucibus orci eripere se valuisset;
jam non fato periit; sed aliis tantummodò concurrentibus causis quas vitare



illum penes erat, quas-ve remove penes erat Medicum (1). Quaecumque sub coelo vigent corpora, à Naturâ sic institui videntur, ut non in eodem temporis spatio, crescant, virecant, pereant: undè adagium: *omnia tempus habent*. Ad centesimam usque annorum revolutionem & ultrâ comparatus homo, in omni vitæ suæ curriculi puncto nihilominus luce defungitur. Omnia etenim quibus in hâc regione circumdatur viventium, vel ad bonum, vel ad malum illius tendunt machinæ. Ars fecernendi mala, sibi quæmet applicandi bona, conservatrix affulget Medicina: ars avellendi quicquid corporibus malorum ingruit, ea sanè Medicorum est virtus, quâ concurrente naturâ, Medicus ægrotantis repetit jura. Sibi quandoquæ natura sufficit, verum, cum ab occurrentium morbi pondere causarum, vis vitæ stricte involvitur, premittitur, quoquoersum tanta mali moles à Medico sublevanda venit ut quò ipsa evasura tendit natura, eò, mediis terrestribus, hanc educere tentet Medicus (2). More procedens mathematico, omnis intelligat homo suæ brevitatem vitæ in strictâ positam esse ratione, & rerum non naturalium abusus, & quæ subito irruunt, obruunt causarum, imprimisque contemptus & incuriæ medicorum naturalium quæ oppressam sublevare possunt machinam. Sit ita demum iussu consentaneus & æqui, ut si in olitore perito artem vegetabilia quæ tantum ab animalibus physicè discrepant in eo quod hæc errabunda, illa verò immota è tellure suscipiunt alimenta, tuendi sanandi, agnoscat; itidem in Medico qui indefessis lucubrationibus, vigiliis domesticis & publicis, ad cælum erectâ mente, naturæ leges sedulò prosequitur & investigat, scientiam & artem animalia tuendi corpora, multotiesque sanandi, confiteatur. Ad quid tamen moror in istis? cur copiosa in expositione luce clarioris sententiæ verba consumere? Nunc Chirurgus Medicus solemter, omni stridente Tartaro, sub acie machaonicâ, palam, omnium sensibus arrestis, innumerabiles servat necnon modò devoluturos letho revocat mortalium natos; nunc morbis in acutis, Clinicus prælagit pessima, meliora in suo tempore disponit, tutâ quasi imperante naturam voce, expeditiora init consilia, immensâque ovante hominum catervâ, ad hodiernum reducit triumphum. Quantò autem hominum admiratione dignior Medicus qui nullis certò indicantibus symptomatibus, nullo fallaci deceptus signo, intricata solvit arcana malorum; qui innumerabilia sub sole corpora, pro cuiusque peculiari virtute, vel connexâ, jamdudum exhaustæ applicat machinæ; mutatam humorum *crasin* ad pristinam revocat indolem, & ad instaurationem novæ vitalis materiæ divinitus conducit. Acuti per se patent morbi, exteriora sæviunt symptomata, apertè judicantur; chronici perfidis involvuntur signis: hinc divisio scholastica morborum in essentielles & in symptomaticos. Essentiales per se existunt, nullâque primariâ apparente causâ invadunt; symptomatici, etsi graviter manifestò se prodant, intemperiem nihilominus cuiusdam visceris absconditam arguunt.

Morbos inter chronicos merè symptomaticos plurimi præter naturam cutis

(1) Hinc non rectè loquitur Seneca, dicens: *Nemo nisi suo die moritur. Nihil ex tuo tempore perdis. Nam quod relinquis alienum est. Epist. LXIX ad finem.* Fatam etenim non tempora regit; sed tempora ad fatum irrevocabile ducunt.

(2) α δει ἀγειν, ὅπου αὐτὸς μαλιστα πέτη, ταύτη ἀγειν, διὰ τῶν ὑμμερότων χαρίων.
Quæ oportet educere, quò maximè vergant eò ducere. (oportet) per conferentia loca. Hippoc. aph. XXI, sect. prim.

3
affectus primum certè locum obtinent, & nedùm ad veram, ut deceret, Medicorum insurgant gloriam, contra jus fasque, in eorum vertuntur opprobrium. Quoniam etenim ab intimâ diuturnâque cujusdam visceris intemperie ducunt originem, non, nisi longâ medendi ratione adhibitâ, evanescere posse videntur; impatientefque valedicunt ægrotantes Medico. Ille verò naturæ tantùm minister nulla edit prodigia, & cum antiquos subito sanare morbos mortalium non esse ingenuè fateatur, profanum diuturnam adversus medicamentorum usurpationem insurgit vulgus, in retes agyrtarum se committit imprudens, sæpèque sæpius inconsultissimam capite luit mobilitatem.

Veras profectò perlustrare detegereque morborum cutaneorum causas, ne, ut sæpè fit, ad infandum corporis diferimen, effectus debelletur, causa verò genitrix negligatur, hoc opus, hic labor. Tantæ luis igitur descriptio, causa, iustaque medendi ratio nobis in ordinem, veniunt exponendæ.

I 1.

QUEMADMODUM herculeâ manu, uno capite reciso, derepentè duplex attollebat olim in Lernæ paludibus Hydra; sic applicatione medicamentorum externâ, serpendo renascuntur, crudeliùsque tam internè quàm externè depascuntur squammei subcruentatique præter naturam cutis affectus. Ab omnibus quamvis ferè Medicis *essentialiter* inter se morbi distinguantur cutanei, diligenter attamen scrutanti, pro variâ tantùm gravitate symptomatum ab invicem discrepant. Omnes & singuli etenim sibi mutuò ansam præbent, ita ut minores ad graviores ducant; ita ut graviores ad minores, reluctante naturâ, concurrenteque medicinâ, vergant.

Horumce præter naturam affectuum differentias in humoris specie, qualitate; in loci varietate affecti, veteres non immeritò assignarunt Medici. Morbos etenim cutis ex humoris vitio succrescentes, in morbos cum tumore, in morbos citra tumorem, in morbos ex utrisque diviserunt. Ideò alios ex pituitâ, alios ex sanguine, alios ex bile flavâ, alios ex atrâ bile, alios ex sero, alios ex horumce qualitate connexâ pendere contenderunt. Quoniam autem illorum est humorum sanguis oceanum, hujus divisionis meritò impatientes neoterici, à qualitate sanguinis exuperante nocivâ, concurrentibus externis etiam causis, omnium ferè cutis morborum duxerunt originem.

Omnes corporis summa obfidentes præter naturam affectus, vel in cute prominerè, aut cum cute subjectam quoque partem occupare deprehenduntur. Prominentes autem affectus sunt tumor, tuberculum atque pustula. Tumor tuberculo major, & utroque minor pustula cernitur. Inter tumores *, Phlegmone, Phygethlon, Bubo, Phyma, Erysipelas, Œdema, Hydrocele, Hydrocephalon, Tumor flatulentus, Schirrus, Ganglion, Bronchocele, Parotis, Struma, Phagedena, Cancer optimè recensentur: inter tubercula **, Carbunculus, Furunculus, Terminthus, Glandula, Nodus sedem habent: inter pustulas demùm ***, Psyllia, Epinyctis, Phlyctenæ, Ecthymata, Ephelides, Hidroa, Herpetes, Scabies, Prurigo, Lichen, Psora, Lepra, Verruca, Clavus, Callus annumerari solent.

Tantam autem non suscepimus provinciam qui horum speciem sigillatim tractemus diffusiusque exponamus, tum quia plurimi nullum afferunt incommodum; tum quia nonnulli omnem ultra medelam consistunt, vel facillimæ curationi

* ἡ φλεγμονή
τὸ φύγεθλον
ὁ βυβών
τὸ φύμα
τὸ ἔρυσίπelas
τὸ ὕδρημα
ἡ ὑδροκεφαλὴ
ἡ ὑδρεκίλη
ἡ φυσικὴ λήνη
ὁ σκίρρως
τὸ γαγγλίον
ἡ βρογχοκίλη
ἡ παρωτίς
αἱ χοιράδες
ἡ φαγέδαινα
ὁ χαρκύνθω
** ὁ δολιχόν
ὁ τέρμιθος
ὁ ἀδὴν εσκήρως
ῥωμενος
*** τὰ ψυ-
δράκια
ἡ ἐπινοκτίς
αἱ φλύκταιναι
τὰ ἐκθύματα
αἱ ἐφηλίδες
τὰ τδρῶα
ὁ ἔρπης
ὁ ἔρμης
ἡ κνήκη
ὁ λειχὴν
ἡ ψώρα
ἡ λίπρω
ἡ ἀκροχορδαῖον
ὁ ἴλος
ὁ τύλος

cedunt : hinc de papulâ vel herpete , de impetigine earumque de variis speciebus agendum , quæ etsi difficillimæ , tamen diuturnæ & sagaciter educatæ medendi auscultant rationi. Pabula quæ herpes Græcis nuncupatur , ardor est cutem serpentibus minimis pustulis exasperans atque rodens ; ea quidem duplex : una simplex quæ herpes miliaris ; altera fera quæ herpes exedens dicitur. Herpes exedens quæ pabula fera , ruptis pustulis , veram cutem exulcerare , rodere , depascere , in latum atque in altum serpere , multaque stabilire ulcuscula deprehenditur : herpes autem simplex summam tantummodò cutem exasperat , sub unâque solùm epidermide consistit , exiguas illic pustulas excitans , quæ milio haud absimiles , extant minimùm aut prominent. Utraque in vicina , quasi in orbem , quoquoersùm serpit , seque diffundit , sæpèquè , longius extremis procedentibus , sanescit medium.

Cutis asperitas dura & ficca cum ingenti prurigine , impetigo est. Hujus quatuor species annotaverunt antiqui : una admodùm simplex , quâ cutis rubra , exasperata , vehementi pruritu excruciat : altera *lichen* Græcis nuncupata , pustulis majoribus emergere , acriùs corrodere latiusque procedere cernitur : species tertia quæ pfora (cute crassiore , ficiore , tumentiore , serpentibus pustulis deturpatâ) partes vehementer rodere & exedere , passimque findere , & ex se furfuracea quædam nigra excutere videtur. Quarta demùm species (lepra) omnium sanè deterrima , cutem altè depascere atque findere , ex quâ furfures non solùm , sed & squammulæ modò pallidæ , modò subnigræ decidunt , observantur : hæc totius substantiæ morbus adest , quoniam nulla pars in corpore viget , quæ ab illo non sit inquinata malo : ideò nullis , ab antiquis , à neotericis cedere putatur remediis , ejusque de curatione vulgus Divos implorare solet. Inexhausto tamen alui fluxu , evanescere quandòque visa est lepra.... Ast consistente diarrhœâ , brevè è medio tollitur æger ; sistente vero , pejorem ille etiam hunc sibi morbum vindicat.

I I I.

AB organorum sanè humores separantium vitio , hanc immanem morborum squalidorum familiam oriri , explicari , in dies , elegantem corporis formam deturpare , dummodò ad eorum tenacitatem reversionemque , ad mala ab externâ curatione pendentia attendatur , nullum supererit dubium. Ubi etenim tonica corporis vis interna major , nullo cedentes topico , majoris minoris-ve momenti , tantùm aliam in cute sedem occupant morbi cutanei. Contrà verò externè profligata materia , è corporis circumferentiâ , immanè truditur in centrum , lethiferamque nobilium labem portendit partium. Cujusdam ideò intemperiem visceris absconditam suspicantes antiqui , functionum naturalium viscera ; hepar præcipuè , malè affici , antopsiâ constârunt anatomicâ. Hinc erysipelas à bilioso sanguine originem ducere instituerunt. Verùm autem sive sit hepar obstructum , sive exulceratum , sive tantummodò in suo vasculari ordine distentum , impuræ in corpus fluent materiæ. Obstructo etenim hepate , sanguis è visceribus venam portarum ingressurus , in abdominalibus retinetur , coacervatur. Hinc dysenteriæ cruentatæ , hæmorrhoides , mesenterii moles , hydrops , sin minus , digestio prava. Ulcerato autem hepate , suppurationis materia una cum bile , in duodenum descendens , chylo succisque primæ digestionis dicatis pessimam conciliat indolem. Postremò tandem in suo vasculari ordine ultramodùm distento

hepate; crassior, foeculentior; copiosior separatur bilis, chyli materiem involvit; penetrat & intimè coinquinat. Hisce tribus unâ quâlibet de causis, in omni corpore, lymphâ redundans acri suppeditatur sanguis; hæc lymphâ tenuiores vellicat fibras, spasmodicos excitat motus, & ubicumque sit in stagnatione, pejora procreat mala: nempe si intra sedeat articulos, immanes cruciatus excitat; sin ad cutem deferatur, fibrillas sub epidermide tendinosas irritat, rodit & pro intensione suâ, pejorem accersit luem. Qui ab hereditariâ procedunt labe, omnium tenaciores videntur morbi. In semine maris omnium primordia vigent corporis partium: in succo ab utero intra partes seminis masculini integrantes profluente, summum cujusque partis substantiæ explicativæ exordium (1). Omnes corporis compositæ partes certo fibrarum, aliæ super alias, instructarum numero componuntur. Primogenitæ verò actionis primariæ sunt capaces; illæ sensim destruuntur suamque sequentibus in posterum, sedem præstant fibris; secundæ, aliis, ad ultimam. A primâ fibrarum explicatione, vita; ab ultimâ fibrarum serie, senium & mors naturalis. Humidum illud subtile quod in semine maris ad efformandam cujusque partis primariam fibram comparatur, apud omnes & singulos homines prolificos, quid unum & idem existere suspicamur. Itaque, quoniam rudimenta tum materiæ *essentialiter*, tum substantiæ explicativæ, sunt apud omnes eadem; nil mirum quod in utero benè valeat fœtus qui in lucem eruptus, Pixidem Pandoræ sensim devenit, cujusque succedentis causa difformitatis in acquisitam parentum indolem pravam meritò impingitur; nil mirum quod in posterum, cum aliæ fibræ, in suâ compositione alternâ, vel explicatione inquinatæ, præcedentibus vegetis succedunt fibris, fiant ægrotantes qui antea firmâ gaudebant valetudine. Verum ex assiduo & constante naturæ progressu fit, ut contaminatum corpus vivens semen sterile suppeditet, si intimè, scilicet in totâ substantiâ, admodum vitietur; ut, si non intimâ depascatur labe, in lucem edat progeniem cujus ætate crescente, indoles in ratione strictâ statuatur pravi constitutionis acquisitæ parentum. Hinc patet cur hominum plerique morbis derepentè corripiantur cutaneis, nullâ prorsus acquisitâ existente causâ.

I V.

UBI primùm cutaneus invaserit morbus, præhabitis lotionibus, absterfionibus, balneo, pro materiæ morbificæ suspectâ indole, largâ manu cathartica alterantiaque exhibenda sunt medicamina (2). Malum autem si vigeat inconcussum, absolutâque medendi ratione, emergat, cujusdam intemperies visceris suspicanda venit intima; & quoniam morborum similiter ac nummorum hæredes sunt liberi, sedulò inquirenda corporis habitudo parentum. Verumtamen qualescumque sint in cute consistentes morbi, si causam saluent intimam, nulla sinceræ sanationis spes assurgere debet, nullum levamen expectandum, nullo modo, salvâ conscientia, mitigari possunt symptomata, nisi per intactam diuturnamque dieteticarum observationem legum. Ast, cum in effrenatis hominum cupidinibus, nullus datur quo stant sponte terminus; humana siquidem progenies præ desiderii crescentibus, pauperior, magis ac magis appetat sitiatque; sic humilis & animi compos, in vitæ modo sibi accommodato, bona inexhaustiunda, dulcedine mentem cumulantia, immò secularis vitæ scaturiginem, præ gaudio mirantibus

(1) Nostrum vide opusculum *Essai sur la Génération de l'Homme*, in-8º, chez Didot le jeune.

(2) Illustrissimus hujusce Thesædis Præses, percelebris Clinicus, flores sulphuris in consistentiam extracti, cum sufficienti quantitate syrupi simplicis ritè dilutos, ad dosim usque duarum drachmarum, in die, felici cum eventu, per aliquot menses, manè, jejunio ventriculo, exhibet.

amicis, sibi comparat: novus proinde suorum dierum creator, per consultissimum vitæ modum, causam mortis in longævitatē permutare valet. Firmæ tandem valetudinis pretii multum gnarus, momenta purissime dispensare discit; & dum præ constitutione herculeâ, stultè æstuantes, giganteo passu, & inaudito modo, ad vitæ metam præcipientes currunt plurimi, ille fragili corporis habitudine donatus, prudenter rependo, vitam, quasi reluctante naturâ, sibi duplicat in dies. Cum igitur in morbis tenacibus cutaneis, cujusdam visceris labes judicatur intima, nulla in Galenicis, nulla in Chemicis, nulla in Chirurgicis curatio prosequenda; hoc opus tantum Medici hic labor pessima præcavere, gravioraque symptomata compescere. Medicina ergo prophylactica, in exquisitâ rerum non naturalium usurpatione, imprimisque in prudenti & accommodatâ potus & cibi delectatione nititur. Quoniam verò in omni viscerum intemperie gravi, motus præscribitur moderatus, quies longa, vigilia nulla, somnus, ubicumque imperat, excipiendus, aër quam maximè purus atque temperatus; quoniam excreta & retenta sedulo compensanda nullaque violenta animi pathemata excitanda; sit etiam victus tenuis, omni acrimoniâ carens, infirmæ tandem valetudini accommodatior. Lactis autem copiosa diuturnaue usurpatio duplicem salutiferam conciliat virtutem. In cibo etenim & in potu lac æquè proficiuus, minima ab humore acri irritata vasa suo demulcet sero, necnon viscera ab æstu fervido temperat. Interea tamen saniosam congeriem cuti adhærescentem, magis ac magis irruentem à fluxu remove re nimio juvat. Status profecto psoricus, herpeticus, &c. in genere præter naturam est affectus in quo, ita distenduntur, vel acrimoniâ dilacerantur vasa cutis lymphatica, ut sanguis ipse mæandros penetrare valens lymphaticos, subjectas non aggrediatur venas, undè mediante venâ cavâ & portarum, ad hepar deferendus, canalem intestinale, sub formâ bilis, adire queat; pellucidis ruptis carceribus externè diffunditur cruor, aëre ambiente corripitur, desiccatur, densioresque per squamulas tegumenta exasperat. Intimum igitur fervidumque cutis calorem circumfluens temperare nequit aër; immò summa corporis urentia majorem, in dies, appellant humorem psoricum, hinc horrendum in modum, deturpatur, depalscitur cutis, inveterascit morbus, partes subjectæ coinquinantur, omnis demum corporis substantia consumitur, morsque sola spes devenit. Per alia igitur loca hanc purulentam educere materiam convenit. Sed undè & quò? Viam demonstrat Hippocrates, dicens: οἱ αἰμορροΐδας ἰχθυοῦντες, ὥτε πνευρίτιδι, ὥτε περίπνευμονίῃ, ὥτε φαγέδαινῃ, ὥτε δερδύσειν, ὥτε περιμήθοισι σμικρύνονται. ἴσως δὲ οὐδὲ λέπραϊς, ἴσως δὲ οὐδὲ ἀλλύσειν. *Hæmorrhoides habentes, neque pleuritide, neque peripneumoniâ, neque phagedenâ, neque furunculis, neque thermenthis consumuntur. Fortassis ne quidem leprâ, fortassis ne quidem aliis id genus.* (Hipp. in Morb. vulg. Lib. VI.) Quoniam autem non ad libitum hæmorrhoides excitari queunt, medium quod hæmorrhoidum munus suppleat inquirendum est. Ideò sanè majoris est momenti venis hæmorrhoidabibus hyrudinum applicatio. Verumtamen cum absque intestini recti summo discrimine, mediantibus hæmorrhoidalibus venis, tanta non potest educi fluxio, passim interdum cuti applicandæ sunt hyrudines, undè psoricus, herpeticus humor, plurimâ datâ portâ, tutius evanescat.

V.

VOS igitur quos auri sacra fames tartareo revocabit à regno; qui sordido mendacii stillante venenum ore, strages in strages, vanâ spe deceptis mortalibus, inceditis; qui, vultu sub composito, lupi devorantis dentes exacutis; qui,

thecâ digitali in candidâ, immanes vulturis falculas reconditis; quorum circâ pecus æs triplex naturæ gementis jura repellit; qui eò perfidiores quò minimè suspicati latrones, vitæ simul & crumenæ civium certas comparatis insidias; qui, pecus ignavum, generosi pelle leonis induti, aures nihilominus adumbratis dubias, altissimæque principum, mobili ridente fortunâ, adire non erubescitis ædes; quorum tandem morbis mille pejor stolidi cohors Galliarum urbem invadit, deturpat, destruit, procûl ô procûl este Pseudo-Medici: vero coram Epidauri templo timore percussi, contremiscite.... En, acie duplici, noster vobis insurrecturus Apollo lateri accommodat ensẽ; audacis Marlyæ debitam in animum revolvite fortem: pulveres, topica mortifera, *ridiculum animale digestivum*, *infidelẽ ulmi pyramidalis corticem* tollite, & undè fuistis, irato coelo, rejeçti, horrendum in Phlegetontem, nunquàm emerfuri, evanescite. Impuro tamen frementes ore, multi insurgent Pharmacopolæ, ingentique scriptarum testificationum onusti farragine, oculos mentesque plurium capere tentabunt. Præclaræ quidem curationes! quarum plurimæ evidenter falsæ, aliæ gravioribus originem præbuerunt morbis, aliæ tantum palliatiivæ: alienis verò gloriari bonis assuetus, quicquid natura sola salutare dispensavit, in honorem sibi convertit Agyrta. Sincerus Medicus multa sanat & tacet; Pseudo-Medicus autem excruciat multa, numerosamque jactitantem in loquelam diffunditur. Ne in posterum decipiantur, intelligant homines, artem medicam in strictam rationem dirigi, & antiquioris recentioris-ve morborum ortus, & gravioris leviorisque præter naturam partium affectus. Verum si remotissimam duxerit morbus originem, omninò morbificam constitutionem sibi vindicavit æger, coinquinatæ omnes corporis partes, nisi longo tempore, in æstate nimirum virente, ad pristinam indolem reduci possunt. Contrà verò, si leviozem externam ve causam agnoscat morbus, levi & brevi medicaminum usurpationi cedit: undè adagium, *talis morbus, talis medendi ratio*.

Morbi cutis in duas classes dividi possunt generales, in morbos ab externâ causâ, in morbos ab internâ procedentes. Morbi verò ab externâ causâ, spontè, munditie, absterfione, balneo, sæpissimè curantur. Morbi autem cutis ab internâ succrescentes causâ, impuram reapsè humorum separationem arguentes, difficillimæ auscultant medelæ. Alii morbi cutanei merè sunt critici, alii symptomatichi. Critici, materiâ è corporis centro ad circumferentiam deductâ, paucis diebus evanescunt; symptomatichi verò à cujusdam visceris læsione, originem ducentes, tot temporis consistere deprehenduntur, quot temporis præter naturam afficiuntur partes internæ. Hinc diuturna morborum cutaneorum sedes: hinc umbras & inania captat qui medicaminibus externis tantum hos debellare tentat. A sanguinis in vasa cutis lymphatica perfusione, morbus herpeticus, psoricus oritur; locus etenim cruentatus, prominens, aliquoties stillans sanguinem, squammulis substernitur. Humor psoricus, herpeticus, aère concretus, omnia chemice principia animalis materiæ suppeditat, quæ ad indolem pilorum, unguium, epidermatis accedit, quæque præterea quâdam (nullo modo sensibus obviâ) donatur acrimoniâ. Quoniam autopsiâ constat anatomicâ, psorâ, herpetibus leprâ-ve laborantes hepate gaudere præter naturam affecto, certè, nisi sanato viscere, sincera expectanda venit curatio; atqui cum inveterati viscerum præter naturam affectus sunt insanabiles, morbi cutanei, tali ex causâ procedentes, insanabiles etiam occurrent. Hominiibus verum plethoricis, sanguineis, labore venereo fessis, quàm-

maximè ingruunt herpes, provectioreque in ætate, cùm omnia minuantur fluida, animi compescantur, pathemata, morbi quandoque cedunt cutanei, aliis ab intemperie viscerum successuris, quorum generis podagra, hæmorrhoides, rhumatismi, &c.

Omni spe tamen psorici, herpetosi non decident; absolute etenim illis si medela desit, sunt equidem ingentia levamina morbo. Psoricus, herpeticus humor qui sæpissimè podagrico jungitur malo, qui fortasse ejusdem est indolis, eandem subire debet curandi rationem. Immanes edit cruciatus humor podagricus, quoniam in articulis deponitur, strictè includitur, commoratur, coacervatur; pruriginem tantum excitant herpes, quoniam in latum, in altum & in profundum diffundi queunt. Igitur, sicut in podagrâ, duo in herpetum invasione, requiruntur; ut acrimonia à viscere læso semper renascens, temperetur; ut tantâ humoris foetidi mole præservetur, exoneretur cutis. Victu omni acrimoniâ carente, parùm fœculento, corpori sano simillimo, aut illi facile assimilando, qui, præ dulcissimâ copiâ lymphæ, redundantem corrigere valeat acrem, ipsa temperatur humorum causticitas. Hinc omne tollet punctum diuturnus & abundans lactis usus. Quoniam, psorica vel herpetica materia sanguis est ipse venosus in vasa lymphatica eruptus & ultrâ, aëre concretus externo, per hyrudinum applicationem, tanta præcavebitur fluxio. Sic enim defensa, exonerata, non, in dies, magis ac magis irruente materiâ, exasperabitur, corrodetur, destruetur cutis, facilius internis obtemperabit morbus remediis, pristinamque tandem corpus recuperabit nitiditatem.

Ergo in cutaneis tenacibus morbis, diuturnus & abundans lactis usus, repetitaque simul hyrudinum applicatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus DOUBLET, in
Senatu Patronus, civilium tum
nosocomiorum, tum custodia-
rum Subinspector.

M. Tullianus-Claudius-Nicolaus
NAVIER, Academia Cata-
launensis Socius.

M. Edmundus Joachim. BOUR-
DOIS DE LA MOTTE, Chi-
rurgiæ vernaculæ idioma Pro-
fessor.

M. Christophorus-Nicolaus DE
JUSSIEU.

M. Joannes-Renatus SIGAULT,
& Regiâ Scientiarum Academiâ
Divionensi, Regis Pensiona-
rius.

M. Joannes THAURAUX.

M. Ludov.-Gilbertus BOYROT
DE JONCHERES.

M. Carolus SALLIN, Consilia-
rius Medicus Regis ordinarius
in ejus Castellæto, Facultatis
Exdecanus & Acad. Censor.

M. Cosma-August. LÉZURIER.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA CALMÉ, Rhemus, Medicus Doctor
Rhemenfis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1787.

